

Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? Num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Maelium debuerunt juvare? Tiberium quidem Gracchum rempublicam vexantem, a Q. Tuberone, aequalibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius Cumanus, hospes familiae vestrae, Scaevola, cum ad me, qui aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti T. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego: Etiamne, si te in Copitolium faces ferre vellet? Numquam, inquit, voluisset id quidem: sed, si voluisset, paruissem. Videtis, quam nefaria vox! et hercle ita fecit, vel plus etiam, quam dixit. Non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit; nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit. Itaque hac amentia, quaestione nova perterritus, in Asiam profugit; ad hostes se contulit; poenas reipublicae graves, justasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris: nam, cum conciliatrix amicitiae, virtutis opinio fuerit; difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis, quidquid velint; vel impetrare ab iis, quidquid velimus: perfecta quidem sapientia sumus, si nihil habeat res vitii: sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt, et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt. Videmus Papum Aemilium C. Luscino familiarem fuisse (sic a patribus accepimus), bis una consules, et collegas in censura: tum et cum iis, et inter se conjunctissimos fuisse Man. Curium et T. Coruncanium, memoriae poditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quemquam horum ab amico